

DE INVENTIONE SA-  
CRI CORPORIS DIVAE  
Anglinæ martyris.

*Simplex, veraq; narratio P. Vincentij Lu-  
stiniani Antistij.*



ANN O à Christi ortu  
1588. 3. Kal. Maij, quo  
die triumphus diui Petri  
martyris celebratur, pau-  
lo ante quã summũ sacrũ  
solèni ritu inchoaretur in cœnobio Præ-  
dicatorũ Valētiæ, cùm pictã tabulã ve-  
rustiorẽ reuellerent opifices è capitulo  
(quod est sepulchrũ antiquæ nobilitatis  
familiæ Boylorũ) vt eodẽ loco statuerẽt  
imaginem Deiparæ Virginis, sub inuo-  
catione Spei, quæ olim fuerat serenissi-  
morum Regũ Alfonsi 5. & Ioãnis 2. Ec-  
ce tibi latens facellum affabre, & anti-  
qua arte confectum, quasi græcum arma-  
riolum, & intus arcam, in cuius fronte  
apparet, ab eodem (vt videtur) artifice,  
qui veterem tabulam pinxerat, viuis  
expressis coloribus diua quædam innixa

A geni-

genibus, cui licetor prætendens gladiu  
lata sententia iudicis caput abscindit,  
atque eam tres aliæ diuæ, consecrantur,  
quasi eiusdem sociæ, comitesque marty-  
rij. Porro arca aperta coram nonnullis  
Patribus, qui illicò latomis atque tigna-  
rijs affuerunt, pulvinarium integumentū  
apparuit, & intra ipsum aliud integumē-  
tum eiusdem materiæ, paulo quidem de-  
terioris, intimè denique complura ossa  
reperita sunt, & mantile, & chartaceum  
inuolucrum aromatum, vel alterius no-  
bis incognitæ rei. Conspectis ossibus,  
profecto sacrum quidpiam esse omnes  
vno ore dixerunt: sed tamen adhuc cu-  
ius essent reliquiæ ignorabant, donec re-  
ponendis ossibus intra pulvinarium in-  
tegumentum, latomus vnus fortè de-  
prehendit schedulam vetustissimā, quæ  
esse illud Diuæ Anglinæ corpus hoc mo-  
do testatur.

*Cor<sup>o</sup>. sce. Angline.*

Mox obseruata sunt sub sacello ad utrūq;  
latus candelarum & cereorum ardentium  
anti-

**D**antiqua vestigia. Insuper & huius con-  
uentus quidam seniores meminerunt au-  
diuisse ab alio multò antiquiore Patre,  
qui obiit circiter annum 1558. cuiusdam  
sacrae Virginis caput ligneum, quod mo-  
dò seruatur in domo nouitiorum, solitū  
fuisse stare supra pictam tabulam Capi-  
tuli, se tamen huius rei causam atq; ratio-  
nem ignorare.

Deinde coram Doctore Augustino Frexa  
Vicario Generali Archiepiscopi Valen-  
tini, ac Patriarchæ Anthiocheni Ioannis  
à Ribera (qui tunc religionis ergò in do-  
mum B. Mariæ vulgo del Puig ad diui-  
nam in Anglico bello opem imploran-  
dam perrexerat) allatum est caput, &  
prædictæ arcæ, superimpositum: quæ  
duo simul composita longitudinē, latitu-  
dinemq; facelli tam iuste exequabāt, vt  
manifestum euaserit, ad ea seruanda fa-  
cellum fuisse constructum. Quinetiam  
ab eodem religioso sene accepisse com-  
memorabant, olim solemne officium sin-  
gulis annis ibi fuisse actum die 11. milliū  
Virginum, cū tamen vetustior tabella  
picta non illis, sed Deiparae Mariæ fuerit  
dicata

dicata. Nō quòd Anglina virgo de mil-  
lenarum numero fuerit: cūm depingen-  
di modus huius gloriosi triumphī sit lon-  
ge diuersus ab eo, quem semper eximij  
pictores seruare consueuerunt ad prædi-  
ctarum virginum martyrium exprimen-  
dum: sed quia S. Anglinæ orsibus adiun-  
xerant officulum B. Vrsulæ 11. millium  
Virginum antesignanæ, vti schedula illa  
indicat, quæ si integra legatur, sic habet.

*Cor<sup>o</sup> . . . . particula beate Vrsule.*

*Cor<sup>o</sup>. Scē. Angline.*

Quo loco sex illa puncta collocaui, com-  
pendium litterarum continetur, quod  
nequit intelligi, nisi forte legendum sit,  
VEL: siue A V T. vt sit correctio scrip-  
toris iudicantis improprie vocari cor-  
pus, quod exiguum esset officulū: quod  
non comparuit eo die. Postea tamē cūm  
aduenisset Vicarius ille Generalis, vt  
hæc omnia publica notarij fide testata  
in acta referret, reperit inter aromata,  
vel pulueres officulum, quod ab omni-  
bus

bys creditum est esse B. Vrsulæ, propterea-  
reque seorsum positum fuisse.

Sed quia mirantur nonnulli, qua ratione  
fieri potuerit, ut tantæ martyris sepulchrū  
omnino latuerit in hac domo, vbi ab  
anno 1239. quo instante diuo Michaële  
à Fabra Beatissimi Patris Dominici so-  
cio, invictissimus rex Iacobus Aragonū  
primus eam erexit, præter Episcopos, &  
doctores, innumeri florere eximia san-  
ctitatis viri, præsertimq. B. Ioānes à Po-  
dio Ventoso & S. Vincentius cogno-  
mento Ferrarius, Patrum verò nostrorū  
memoria duo illi beati Martyres Do-  
minicus à Corduba de Monte maiori, &  
Amator Spi, nostris denique tempori-  
bus inter alios B. Ioannes Miconus, &  
is de cuius canonizatione apud S.D.N.  
Sixtum V. modo agitur B. Ludouicus  
Bertrandus: respondemus fuisse tem-  
pus, quo eadem domus in quorundam  
manus deuenit, quos cum rerum diuina-  
rum cura parum sollicitaret, quæ à maio-  
ribus acceperant, nec memoria retine-  
re, nec posteris communicare voluerūt  
atq. ita Anglinæ memoria omnino

exciderat, solusq. restitit vsus celebrandi in eodem loco solemnem liturgiam in honorem rr. millium Virginum, idq. iam demū absque ratione facti.

Nec plane mysterio carere existimo, quod Deus Opt. Maximus (qui, teste beatissimo Iob, stellas quasi sub signaculo claudit, id est incomprehensibili illa sua providētia, fulgentes sanctorū radios interdum occultat) Diuæ Anglinæ corpus tot annos absconditum, his præsertim temporibus patefecerit, quū Rex noster Philippus bellum maximū, & æquissimum ijs infert hæreticis, qui versantur in Anglia, à qua videtur productum nomen Anglinæ. Adde, fuisse repertū vnā cum officulo B. Vrsulæ veterum Angliæ regum filia. Quod si hæc singulari consideratione digna sunt, quid quod in celebri die S. Petri martyris hæreticorum hostis acerrimi contigerunt? Cumq. medio in tecto memoratę arcæ aliorum sanctorum effigies depictæ fuerint, nullius extat signum expressum, vnde is possit agnosci, si Diuum Petrum martyrem excipias. Nam ad sinistram tēdē partem remanet

remanet adhuc monachus Dominica-  
nus consumptis capite, & pedibus vetu-  
state, transfixo pectore gladio, quod  
est infigne S. Petri martyris Apostolice  
fidei censoris.

Hæc habui dicere de inuentione corporis  
S. Anglinæ ego frater Vincentius Iusti-  
nianus Antistius, iussu patris Ioannis  
Loazes Regnorum Aragoniæ Prouin-  
cialis electi, qui innumera Dei benefi-  
cia huic domui collata precibus actu-  
te martyris huius sanctissime tribuens,  
eam præcipua quadam religione, & pie-  
tate veneratur, & ardenti cupiditate  
exoptat in vniuersa Christiana repub.  
gloriosum eius nomen agnosci. Erudi-  
tos igitur quosque qui in hanc narratio-  
nem inciderint, etiam atque etiam oro,  
& obsecro, vt quęcunque de vita, mar-  
tyrio ac translatione corporis huius  
martyris legendis libris inuenerint, ad  
nos quantocyus mittant, eius interuen-  
tu ingens à Deo præmium recepturi.  
Valentiæ 13. Kal. Iunij anno post Vir-  
gineum pactum 1588. in coenobio Præ-  
dicatorum.

Men-

Mensis deinde Augusti die 16. iussu potentissimī, ac catholicæ fidei propugnatōis egregij Regis nostri Philippi, qui singulari pietate res diuinas prosequitur, Ioannes à Ribera Patriarcha Antiochenus, & Archiepiscopus Valentinus, vnà cum P. Prouinciali F. Ioanne Loazes, omnia quæ de diuæ Anglinæ reliquijs earumque inuentione scripsimus examinauit, præsentē patre F. Thadæo Ferola Episcopo Clonfertensi.

Vtriusque autem prædictarum reliquiarū visitationis primū per Vicarium generalem, deinde per Archiepiscopum nostrum factæ habentur acta publica apud Gasparem Ioannem Mico curiæ Archiepiscopalis notarium.

*Patriarcha Archie. Valent.*

*V. Pascual R.*

*Frater Ludouicus Ystella magister, ex commissione Patris Prouincialis.*

*Valētiæ apud Petrū Patriciū Mey. Anno 1588.*